

que multiplices difficultates, cuiusmodi erat omnis esse doloris participem, subitici infinitis cruciatibus, immortalem subdi mortis imperio, aeternum subesse tempore, creatorem rerum fieri puerum matris ubera sugentem, omnia tamen pati voluit prae nimio amore, quo sponsam prosequabatur. Amor enim perfectus et verus nihil non audet, et propriae salutis oblitus nullum timet periculum, nullum vitae discrimen reformidat. Unde Ioannes (1. Ioan. 4): *Charitas foras mittit timorem*. Nec id prae se occultum fuit Ethnicis: nam ut (*in theat. vit. human.*) legitimus, Athenienses ad bella discessuri, antequam signa moverent, sacrificium solemne, non quidem Marti, quamvis eum id magis tanquam Deum bellorum decere videretur, sed amoris Deo faciebant, significantes amorem esse, qui animam ad pericula subeunda praebet, ideoque illius voluntatem, et benevolentiam sibi conciliare per sacrificia curabant, eo potissimum tempore, quod ad conferendas cum hoste manus egrediebantur. Apud quos etiam amor manu fulmen tenens pingebatur, quoniam sicut vehementior est fulminis vis, ubi manus reperit obstaculum, sic amor quavis ardua pervadit, et quidquid obvium est, subigit, et propulsat. Fuit et alia apud antiquos amoris figura, qua medius amor inter Mercurium eloquentiae Deum, et Herculem fortissimum figurabatur, ut inde non solum in amore verba, et eloquentiam ad rei amatae defensionem, verum etiam promptam audaciam, et expeditas in omne opus vires esse oportere cognosceremus. Neque minus id innuebat amoris alia imago, habens duas sagittas, unam plumbeam, alteram auream, cuius pedes gryphis pedibus similes erant. Sagitta aurea, ut illi fabulabantur, dilectos vulnerabat, plumbea infestos, et inimicos percutebat. gryphis pedibus tenacitas illius representabatur, qua semel apprehensam praedam non dimittit: quoniam, ut rerum naturalium tractatores attestantur, ea est gryphis natura, ut quod unguibus arripit, nisi abscessis cruribus relinquere nesciat. Est qui dicat, hoc ipsum pariter significari per communem amoris figuram, qua caecus, et alatus depingitur, nam caecus esse dicitur, quoniam ad omnia obstacula, et quavis incommoda videtur habere oculos clausos: alae insinuant velocitatem, qua rapitur, ut quod amat, a quovis periculo leuatur. Sed prae ceteris divini amoris vehementiam, magnumque fortitudinem, quam in superandis impedimentis, et vicendis difficultatibus, quae nostram redemptionem impedire possent, representat Ezechielis (*cap. 1*) visio, cuius potissimum argumentum erat Hebraeorum consolatio, quae a divini Verbi adventu in humana carne pendebat. Unde inquit, visum a se Dominum triumphantem, electro, et fulguri similem, cuius verba sunt: *Species eius sicut electri in similitudinem fulguris coruscantis*. Addit etiam Deum in curru sedere, quem animalia quatuor alas habentia traherent, et in medio currus, sive rotae, hominem esse, sive ut sibi legitimus, *similitudinem hominis in medio rotae*. Primum, quod ait de triumphatore est, quod species eius erat sicut electri, ut ei

significaret esse mortalem: nam teste Plinio electrum ab arbore stillatur, et quemadmodum gummi vulgare est pallidum, qui color mortis est imago. Unde Horatius (*lib. 1. Ode 4*) mortem vocavit pallidam:

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,  
Regumque turres.

Species igitur electri in triumphante ab Ezechiele proposito carnem eius innuit mortalem, ut hoc modo gloria victoris magis eluceret: tunc enim gloriosior triumphus est, quando vires, quibus fuit parva victoria, erant imbecilliores. *Aspectus eius*, inquit, *in similitudinem fulguris coruscantis*, ut significaretur, per divinum Verbum esse destruendam Luciferi potentiam, et imperium satanae devastandum. Et quoniam humani generis hostis de coelo, tanquam fulmen, ceciderat, ut scriptum est (*Luc. 10*): *Vidabam satanae sicut fulgur de coelo cadentem*: ideo Deus contra ipsum, non secus, ac fulmen ardentissimum, et vehementissimum a coelo in terram dilabatur. *Etheri fulminis* quanta sit vis, eleganter descripsit poeta discretissimus Lucanus, his versibus:

Qualiter expressam ventis per nubila fulmen,  
Aetheris impulsis sonitu, mundique fragore  
Emicuit: raptique diem, populosque paventes  
Terrorit, obliqua praestringens Iunonia flamma,  
In sua templa furit: nullaque exte verante  
Materia, magnamque calens, magnamque revertens,  
Dat stragem late, sparsoque recolligit ignes.

Virtus autem, et vis divini nostri fulminis, Verbi nempe incarnati amor potentissimus, non quidem vitam eripiens mortalem, sed largiens aeternam, tunc instat fulguris suam maxime explicat efficaciam, augetque potentiam, cum hominis animus durior obstitit, quod in peccatrice Magdalena, in foeneratore Matthaeo, in persecutore Paulo cernimus mirabiliter effectum, et ab eodem Apostolo declaratum his verbis, *Charitas Dei urget nos*. Praeclare igitur dixit Isaias, vidisse Dominum in similitudinem fulguris coruscantis. Adiungit Propheta praedictis currum, quo triumphator insidebat, trahi a leone, bove, aquila, et homine diversi generis animalibus, ut inde amplissimus amoris triumphus significaretur, tunc sibi cuiusvis status, aut conditionis, sive ingenui homines suo subdens imperio de omnibus triumphare cognoscitur. Nam quamvis immanitate leonem, aquilam elatione, bovem tarditate, et ipsam humanae mentis voluntatem multitudine superent; eos tamen potestas amoris mansuefacit, deprimit, exacuit, confirmat. Huc spectat Eustachii graeci auctoris pictura, qua Deum amoris cum gladio, et arcu figurabat, cuius lateri foemina candida, et altera nigra haerebat, et a diversis animalibus tractum currum magna hominum, tam aetate, quam vitae conditione differentium sequebatur multitudo, quibus omnibus amor dominabatur. Nam gladio in homines, arcu adversus animalia, et volucres utebatur. Candida mulier diem, nigra noctem innuebat, ut omni tempore amorem go-

tere imperium in omnes, nullumque momentum ab eius flammis alienum esse intelligere-mus. Quod si tandem currus illius rotas consideremus, aliud nostro proposito accommodatum mysterium detegemus: inquit enim: *Similitudo hominis in medio rotae*. Nulla profecto rota velocius aut fortior quam Dei gratia, qua facile gravissima quoque in sublime tolluntur: nam quemadmodum rotam, vel machinariam gruum agens, etsi unus sit, saxa movet, et tollit ingentia, quae vix a pluribus sine rotae auxilio possent dimoveri, sic gratiae praesentiae facile peraguntur, quae illa deficientes, praestare non possunt. Talis etiam est rota huius currus ardentis, nempe divini amoris: nam in medio eius rotae positus Deus homo, tanquam machinaria grue naturam humanam, quae pondere suo deorsum ferri apta est, adeo tulit in sublime, ut illam eo loco, quam natura divina tenebat, in ipsa videlicet divini Verbi persona locaverit, quo alius ipsamet Dei natura exurgere non valuit. Quod ut praestaret, omnia impedimenta, et difficultates, quae occurrere poterant, in peragendo nostrae reparationis mysterio, diligenter, et fortiter non secus, ac si sua interesset, prius amovit, et separavit. Et quamvis potuerit Deus genus humanum reparare per alium cum acceptatione, et supplemento defectus iustitiae rigorosae, quae nulli modo esse poterat in sola creatura; quoniam tamen perfecti amoris officium est non solum amatae rei damna resarcire, et incommodis subvenire alterius intervenit personae, sed per se ipsum accurrere, sicut cernimus in Magdalena, quae, ut advertit Origenes (*homil. de resurr.*), prae nimio amore se ipsum ungeri voluit, etiam si a Iosepho, et Nicomede unctum noverat, non per angelum, sed per se ipsum voluit redimere genus hominum, iuxta illud apostoli Pauli (*ad Eph. 5*): *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret*. Hinc patet, quantum redemptionis beneficium praestet creationis beneficentiae, et liberalitati, quoniam supposito Dei immutabili decreto creandi nos, et redimendi, certe iuxta s. Thomae (1. p.), et omnium illum sequentium doctrinam necesse erat per seipsum Deus creationis opus efficeret: quippe fieri non poterat, ut illud alteri, vel tanquam causae principali, vel tanquam instrumenti committeret; redemptio autem poterat quidem angelo committi, Dei tamen amor tam excellens, et eximius fuit, ut sibi soli id opus reservaverit, volens per seipsum nos redimere, proprium sanguinem, et vitam pro reparatione nostrae salutis effundens. Tantis hic fuit divini amoris excessus, ut illum ausus fuerit Paulus vocare nimium, inquit (*ad Eph. 2*): *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, misit Filium suum, ut eos, qui sub lege erant, redimeret*. Philosophi, qui de moribus scribunt, omne nimium esse vitiosum docent: nam cum virtus in medio consistere debeat, ad quodlibet extremorum si declinet, in vitium labitur: unde iuxta horum doctrinam videtur Apostolus amorem condemnare divinum, vocans eum nimium. Non tamen ita est, nam illum potius laudat, et tanquam valde perfe-

CARTHAGENA DE SS. TRINIT. ET CHRIST. DOM.—VOL. IV.

ctum commendat: quoniam omnes numeros charitatis sic implevit, ut sanguinem innocentem daturus peccatori salutem profunderit, cum tamen id sine tanto sui dispendio peragere, et quod amissum fuerat, restaurare potuisset. Expropter Apostolus nimiam appellavit illam charitatem, considerans excessum magni pretii, pro nostra reparatione a Deo soluti, siquidem incomparabiliter maior debito fuit satisfactio; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

#### HOMILIA IX.

*Divini amoris vi effectum esse, ut Deus suam contraheret immensitatem, ad humanam descendens naturam, et homo conscenderet ad divinum: qua in re, quamvis Dei altitudo videatur quidem deprimi, multo tamen mirabilior extollitur.*

Inclutus ille Thebanus Alcibiades, ut refert Satherus historicus, clypeum in praелиis gestasse narrat aureum, et eburneum, cuius medium locum occupabat amor fulmen manu tenens, in duas partes divisum, quod ille vi sua raperat, et infererat. Haec amoris figura non videtur absimilis ei, quam in suis Emblematis Alcuius (*emblem. 17*) describit, dum Iovem ab alta sui throni sede fulminantem exprimit, vibrato tamen fulmini amor obvius occurrens, impetum cadentis retardat, et flammam extinguit. Hanc amoris vicariam videtur insinuas Virgilius, cum cecinit (*lib. 1. Aeneid.*):

Nate patris summi, qui tela Typhoea tenens.

Quae amoris simulacra satis aperte mihi praesefertur divini amoris vim, alque potentiam, cum in mysterio incarnationis tot intervenientes difficultates, ac praesertim dum coeoretur magnitudo, et maiestas deprimitur, ut homo ad illam ascenderet, ita superavit, ut nullo impedimenti genere, nulla fulminis quantumvis potentis violentia, et impetu cohiberi valeat, quin ad exitum perducatur, quod sibi ab aeterno ad humani generis salutem faciendum proposuerat. Narrat (*in lib. de morib. German.*) Cornelius Tacitus, eam gentem longo annorum spatio nullam imaginem, aram, vel templum sacrae Deo, quod ab eo iniuriam fieri numini dicerent, qui putaret parietibus divinitatem posse claudii, magno opere angustam Deorum maiestatem existere, si ad angustis corporis formam compelleretur. Haec tamen Germanis visam difficultatem divinus amor in nostrae carnis assumptione ita devicit, ut cum Dei immensitas tanta sit, ut de illa scriptum legamus, *coelum, et terram ego impleo*, propter nimiam tamen charitatem, qua dilexit nos, quasi saepe immemor dignitatis, infinitam suam contraxerit amplitudinem, intrans tam parvi

corporis angustias, ut apud magnitudinem non excederet: non enim manus esse corpus, quando anima infanditur, Macrobinus asseruit, et Aristoteles (in *histor. de animal. lib. 7.*), tantum esse quantum formicae corpusculum tradit. Quare si reliqui homines animam accipiunt in tam exigua corporis quantitate, dubium esse non potest, quin Dei Filius eis hac in re voluerit esse similis, sicut ipse de se testatur (*Sap. 7.*): *Sum et ego similis vobis in genere terreno, et in ventre matris figuratus sum caro.* Hanc sui sponsi paritatem et angustiam, qua circumscriptum contemplantur Dei Filium, tanti facit Ecclesia, ut cum sanctissimo eius Natali possit multa de illius magnitudine, et excellentia praedicare, nihil tamen tam memorat, aut inculcat, quam eius humilitatem, et tenuitatem frequentius extollit, et admiratur: unde illa hymni verba sunt:

Vagit infans inter ardua  
Conditus praesepe.  
Et manus pedesque et cetera  
Stricta cingit fascia.

Nihil hic dicitur, quo Dei nostri contractio, et brevis non significetur. Infans enim si est, et vagit parvulus, utique et debilis inuitur: inter ardua praesepe dum iacere undivivum, panis manus, ac pedes involvi, ac strictae fasciae ligamino circumcingi, palam nobis illius humilitas, et contracta maiestas explicatur. Haec omnes loci, et corporis angustias subire Deum amor compulsi, quas Magister sententiarum (*lib. 3. d. 2.*) tenuiores, et arctiores fuisse scribit, dicens, tam fuisse Christi corpus tempore suae conceptionis exiguum, ut in humanis oculis subiacere posset: verba Magistri sunt: *Adeo tenuis erat, et parva forma, ut via humano visui posset subici.* Itaque quemadmodum nunc in quavis consecrati corporis Christi particula, licet illa sit minima, tota illi Dei adest immensitas; sic etiam infra illud corpusculum, quod vix humano suberat aspectu in die incarnationis, tota eius maiestas abscondebat. Ex hac tam mirabili tenuitate, quam summa comitatur amplitudo, responsionem colligimus, et solutionem celebratissimae illius questionis Athenis propositae, videlicet: Quod maximum pariter, et minimum esset. Omnes, qui tunc aderant philosophi, difficultatem interrogationis considerantes, in varias distracti sententias abierunt: quidam enim id esse dixerant visus potentiam, quae intra oculi pupillam includit solis, lunae, ac stellarum magnitudinem, quarum quaelibet mare, terramque transceudit. Alii, quod interrogabat quaestio, cor hominis esse censuerunt: quoniam licet parva sit corporis humani pars, ita ceteris praestat capacitate, ut totum mundum sicut suo capiat, neque solum unum, sed etiam plures, ut contigisse cernimus Alexandro, qui lacrymatus fuisse dicitur, audiens alios esse muros, non nondum ille unum suo imperio subiugasset. Nonnulli affirmarunt id esse proprium intellectus humani, quoniam omni carens quantitate non solum mundum hunc complectitur,

universum, sed alios innumerabiles, quo agitatione mentis fabricare potest, ac coelum puncto temporis perlustrans, pari quoque velocitate terrarum profunda perscrutetur. Nec defuit, qui diceret ovum ab Oromaceo depictum maximum esse pariter, et minimum, quoniam in eo, nec ceteris ovibus maiore, ut refert Caes. Rodiginus, et asserit Pierius Valerianus, viginti quatuor Deos Oromaceus inclusisset. Quare dubium non est, si veram illorum esset numen; philosophi huius responsionem reliquis fuisse certiores: plus enim erat tot Deos, quam omnia creata unius ovi peripheria, seu ambita comprehendisse. Fabula quidem haec fuit, non tamen carens significatione: quippe numerus ille Deorum illic expressus viginti quatuor horas diei significabat, ab Homero vocatae filias solis, quem tanquam Deum colunt gentium antiquitas. Relictis igitur vanis Poetarum fictionibus, possumus verissime Aetheniensium satisfacere quaestioni, si dicamus, Deum carne vestitum esse maximum pariter, et minimum, quoniam tanta illius existente magnitudine, in die suae conceptionis ita se areclavit, et extenuavit, ut *vix humano subiceret aspectui*, sicut ex Magistro sententiarum attulimus. Hinc est, quod ipsemet declaraturus hanc nimiam parvitatem, ad quam redacta fuerat eius magnitudo, comparat se vermiculo, dicens: *Tanquam tenerimus ligni vermiculus*, etc. aliquando se confert cum grano tritici, et grano sinapis, quod omnium seminum est minimum. Itaque si Christum meditatur, inveniemus ex nuda parte tantum esse, quantum est Pater, ac per omnia illi aequalem, dicente Paulo Apostolo (*Phil. 2.*): *Qui non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo;* sed altera parte adeo exiguum, ut intenta oculo non acie vix percipi, aut discerni queat, quod in eius conceptione ex sententia Magistri sententiarum diximus contigisse. Hanc Christi, etiam dum parvus est, altitudinem, sanctus Iob etiam obscuris verbis, sub arboris recens plantatae similitudine nobis indicavit: *Faciet*, inquit (*Iob 14.*), *comam quasi cum primam plantatum est*: quae verba videtur esse contraria: nam cum arbor plantatur, comam statim habere non potest, praesertim si plantatio fiat per insitionem: quod utique in terrae arboribus minime dubium est; sed in hac mystica planta contra fit, quae tam mirabilis est, et plena mysterio, ut in summa parvitate magnitudinem contineat immensam, quoniam antequam in terra primum, id est, intra Mariae viscera plantaretur, sublineam habebat comam divinitatis, quam tamen non deponit, etsi contrahat, ita tamen contrahit, ut felicitet, et potenter hoc verae vitae lignum suo tempore tamen explicare debeat comam, qualem habuit cum primam plantatum est aeterna Patris generatione, coelum ipsum-unde venerat sublimitate transeundens.

Progrediamur nunc ab hac magnitudinis Dei contractione, ad considerandum eius depressam altitudinem: nam si magna nos afficit admiratione, immensitatem Dei videre contractam, non minus in stuporem rapiet illius maiestatem contemplari delectam. Duo ergo in-

venio in sacra Scriptura testimonia, quae singulariter explicent divinae altitudinis descensum, dum iungitur humanitati divinitas. Primum ita legitur in Canonica sancti Iacobi (*c. 1.*): *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Non me laet, haec Iacobi verba intelligi a sancto Thoma de verbo evangelico: Glossa tamen intelligit de Verbo incarnato, quod Iacobus acule, ac singulari cum significatione *insitum verbum* appellavit, quoniam vere in carne nostra insitum divinum Verbum fuit. Illud enim insitum Mariae visceribus, sicut ab arbore insita fructus producit diversus, duplice germinavit divinitatis, et humanitatis fracta; nec tamen duo, sed unum existens suppositum, nunc potenter, ut Deus operans mirabilia, dum caecis visum, mortuis vitam restituebat; nunc etiam humiliter patientis adversa, dum tremebat, dolebat, plorabat. Est etiam advertendum pro maiori tanti mysterii admiratione, ab agricolis celebratum esse proverbium, *Semen cum semine, et os cum osse*, id est simile cum simili facile coalescere: nam quae inseruntur, si naturae qualitatibus conveniant, non difficulter proveniunt. Nam si vellis malum inserere, oportet id fiat in malo Cydonio, non in Ceraso; forte namque non adherescet, quoniam dissimilia non facile conveniunt, nec permulantur. Hinc igitur apparere quam admiranda sit insiti divini Verbi dignitas, quippe existens summa perfectio, et omnium nobilissima, et excellentissima substantia, voluit humiliter, et abiectionissimae carni nostrae inseri, et hypostatice uniri, quae nulli prorsus modo cum illo conveniebat: ille namque purus spiritus est, haec caduca materia; ille vitae auctor, haec mortis spoliatus; ille sempiternus, haec parvo vivens tempore; ille ab omni dolore alienus, haec innumeris agitata miseriis, et nunquam in eodem statu permanens. Unde patet, quantum descendit divina maiestas, ut haec Dei, et hominis fieret insitio: nam ab inaccessibili luce, quam inhabitabat, descendens nostram accepturas naturam, praeteregressus est seraphim, cherubin, et thronos, dominationes, principatus, potestates, virtutes, archangelos, spiritus angelicos, orbis coelestes, ignis, et aeris sphaeram, aquae elementum, ac tandem ad terram ipsam pervenit, ubi se corpori iniecit humano, quod imbecillius, quam terra, cum illa luctans succubuit.

Secundus locus est apud Apostolum Paulum (*ad Phil. 2.*), in ore omnium Theologorum versatus, super quem plures glossae quam ille continet litteras, prodierunt, cuius verba sunt: *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Primum declarat Apostolus summam Verbi perfectionem, quod eiusdem esse dicit cum Patre substantiae: id enim significant verba illa, *In forma Dei*: non enim est Deo alia forma, quae illi praebet esse, praeter ipsius naturam: unde consequitur, non posse concipi simiorem Patri imaginem, quam Filium, cum tanta inter ipsos eiusdem naturae convenientia sit, ut non iam similitudo, sed, ut more scholastico loquar, identitas existat. Hoc videbatur considerare Gre-

gorius Nazianzenus, cum de Filio loquens, dixit: *Terminus est, et definitio Patris*: terminum cum vocat, quoniam in illo Patris potentia generaliva adaequate terminatur: nec enim fieri potuit, ut communicaret plura, quam communicavit, aut acciperet maiora suscepit, per aeternam Patris generationem. Subiungit Gregorius, Filium esse definitionem: quoniam, ut ait Philosophus: *Definitio est oratio explicans naturam rei*; Verbi autem aeterni proprium est, ut dixit Nicetas, praesertere, ac declarare tanquam fidele, ac verum exemplum omnes perfectiones, et dignitates, quae in exemplari, hoc est, in Patre, sunt. Etsi ergo in Filio sunt Verbi divini perfectiones, seipsum ita demisit, ut exinaniverit semetipsum, formam servi accipiens. Tertullianus verbum *exinanivit*, interpretatur *exhaustit*, quod ad fontem pertinet: nam scriptum est: *Apud te est fons vitae*, quem fontem exhaustum per incarnationem vere dicere possumus, quoniam nulla superfluit guttula divinitatis in Deo, quae non deflaxerit, atque stillaverit super Christi humanitatem. Unde Paulus dixit: *In quo habitavit omnis plenitudo divinitatis*. Quamobrem nullam in Verbo divino, sive absolutam, sive relativam possumus considerare perfectionem, quae non se demiserit, et inclinaverit, dum foeno nostrae carnis unitor, et humile, atque servile suscepit humanitatis indumentum. Caeproter, qui censet Theophylactus (*super Io. c. 1.*), dum Evangelista Ioannes de incarnatione Verbi scribit, nullam fecit mentionem de humana natura, nec de illius parte praecipua, quae est anima, sed tantum de carne, quae inferior est, et minoris existimationis: quoniam dicens Ioannes: *Et Verbum caro factum est*, cum Verbum illud esset Patris virtus, per quam omnia vivunt, et reguntur, scribitur Paulo (*ad Heb. 1.*): *Portans omnia verbo virtutis suae*, nomine carnis declarabat infirmitatem, et humilitatem, ad quam Deus carne vestitus se inclinaverat, et pariter etiam ostendebat altitudinem, ad quam homo condescenderat: verba Theophylacti sunt: *Anima cognationem quandam habet cum Deo, caro autem nullo modo communicat*: et idcirco opinor Evangelistam hoc nomine usum ad maiorem ostensionem mirandi, et stupendi sacramenti. Qua de re Augustinus (*in ep. 120. ad Honorat.*) inquit: *Mors suo Scriptura, ut Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen, quasi indignum aliquo, refugisse videretur, carnem pro homine posuit.* Eandem sequitur expositionem Gregorius Nazianzenus, dicens: *Non aliter Dei amor erga nos declarari poterat, quam ex carnis commemoratione, et quod nostra causa etiam ad deteriorationem partem se deiecerit*: cuius descensus in Deo, et ascensus in homine figuram praecessisse cognosco, dum a monte Deo descendente Moyses ascendit, et dum rex Assuerus a throno dexteram porrexit, ut regnum Ester humi iacentem sublevarit. Quae duo exempla proponit Augustinus, quibus addere possumus electrum a Propheta visum, quo Christus, ut superius exposui, significabatur. Causam tantae humilitatis affert Chrysostomus his verbis: *Non frustra ad tantam humilitatem Christus*

descendit, sed ut nos ex humili sublevaret. Quemadmodum enim rex, aut princeps affinitatem contrahens cum familia humili, illum extollit, et nobilitat; sic Dei Filius factus naturae nostrae particeps, ac vere consanguineus, illam exornavit, et exultit ad tantam dignitatis verticem, ut in eo ipsam divinae naturae supposito collocaverit. Merito igitur ait Iohannes Damascenus: *Sic humanam naturam in altum exivit, ut quo ascenderet altius, non haberet.* Hinc etiam Richardus Victorius (*lib. 1. de Emmanuel. p. 1. c. 26*) colligit, quod olim divinae personae de homine dixerant per Ieronimum: *Eccc Adam quasi unus ex nobis, nunc posse hominem Deo dicere asseveranter, et vere: Eccc Deus factus es quasi unus ex nobis; nunc posse hominem Deo dicere asseveranter, et vere: verba Richardi sunt: Merito quo sanctissimae Trinitatis personae approbas, sed nunquid adhuc approbabilis? certe si dixeris ironice, quia homo factus es quasi unus ex nobis: nos de cetero dicimus tam fidenter, quam verititer, quia Deus factus es quasi unus ex nobis.*

Perpendamus nunc, minus ne miraculum in opere Incarnationis fuerit descendisse Deum, ut fieret homo, an hominem ascendisse, ut fieret Deus: paria enim videntur. Quoniam sicut aqua descendit, et in altum resurgit, qua proportione descendit, affecta qualitatibus terrae, quam praerelabitur; sic etiam iuxta descendens proportionem, qua Dei Filius a sinu Patris in viscera Virginis descendit, in coelum rursus ascendit, et quam inde accepit carnem, ad Patris dexteram collocavit. Quae sententia Augustini est (*in lib. de praedest. Sanct. c. 19*) sic loquens: *Prædestinata est naturae humanae tanta, et tam excelsa, et summa sublimitas, ut quo attolleretur altius, non haberet, sicut ipsa divinitas, quo se deponeret humilium, non habuit.* Si tamen volumus subtilius id contemplari, maiorem fuisse reperimus hominis sublimitatem, quam Dei humilitatem, et abiectionem. Humana enim naturae nulli rei excellentiori, quam divinae personae poterat uniri; Dei autem Filius potuit assumere aliquid humilium, et consequenter descendere ad alium gradum nostrae carne inferiorum, accipiens videlicet naturam minus perfectam, velut plantam, margaritam, aut quidvis aliud, quod anima careret. Non igitur aequo Deus depressus, ac homo elatus fuit. Haec licet ita sint, Augustino tamen assentior, dicenti humanitatem non habuisse, quo se tolleretur altius, nec divinitatem, quo se deponeret humilium. Huius ultimae partis ratio est perspicua, quoniam inter omnes gradus essendi infimum locum tenent res inanimatae, ad quem etiam Dei Filius pervenit. Nam divinum Verbum unitum erat carni Christi in sepulcro iacentis; at illa caro sensu ac vita carebat: quare si tunc inanimatum Christi corpus erat, unitus fuit Dei Filius rei animae carenti, ac propterea vere dicit Augustinus, non potuisse humilium delicere se divinitatem, quam in humana carnis assumptione, quoniam praeceteris, quibus Deus potuit deceter unire personam, infima, et humilis caro est.

Superest, ut quae in principio huius homiliae promissimus, nunc praestemus. Excultien-

dam enim nobis est, quomodo si Deus ita se deiecit, ut de illo Paulus dixerit: *Excelsam nit semetipsum*, sive, ut superius diximus, seipsum exhausit, quomodo, inquam, dicere possumus, per opus Incarnationis auctam Deo fuisse maiestatem? Gregorius explicans verba illa Davidis, *Tu caryens misererebis Sion*, quaestioni respondet dicens: *Per Filium suum unigenitum daret, et statim adiecit rationem: Quia ante non cognoscatur, per eum in hominum notitiam venit: prius enim notus in Iudaea Deus, sed post Incarnationem Verbi per totum terrarum orbem nomen eius fuit propagatum, sicut scriptum est (Ps. 75): In universa terra magnum nomen eius.* Addit etiam Gregorius ex rationibus, quibus Christus valde proprie Verbum, et splendor Patris vocatur, eam esse non ultimam, quod quemadmodum luce illustrantur obscura, et verbo aperuntur occulta, sic Christus magis Deum ostendit, quam reliqua, quae sunt, aut fuerant: ideo namque Verbum Patris, et splendor dicitur, quia per ipsum et voluntas Dei cognoscitur, et divinitas declaratur. Aucta et amplificata praeterea videtur ampliendo divina, quoniam licet in se crescere non potuerit, fecit tamen, ut in homine cresceret, dum homo ad Dei naturam evehitur. Neque dubium est maioris esse dignitatis, et excellentiae alios ad amplitudinem honorum, quam seipsum evehere, sicut placuisse Romanis legimus, quorum de rebus ad auctoritatem perlinentibus laudabile iudicium fuit: honoris enim, et publicae auctoritatis fuerant amatissimi. Hos inter, et Sabinus cum post Romuli mortem gravissima Sabinus orta fuisset super eligendo rege, post longam, et variam utrinque concertationem Romanis visum est potius, ut ait Plutarchus, Sabinum eligendum, se ipsius auctoribus, quam Romanum, Sabinis designantibus. Sic ergo Dei Filius existens eiusdem cum Patre substantiae, atque magnitudinis, non potuit illius augeri natura, sed augens, ac sublevans hominem auxisse dicitur, et extulisse seipsum, quoniam id faciens potentiae suae praestantiam magis ostendit. Huic loco aptissima videntur Augustini verba (*in prolog. Ps. 101*): *Quis magis dives, qui habet, quod vult alio faciente, an qui facit, quod vult alio habente? Cui interrogati respondit in hunc modum: Puto quia dicitur ille, qui facit, quod habet, quia quod ille habet, tu non habes.* Si ergo Dei Filius suam potuit homini praebere personam, et ad ipsam Dei naturam evehere, iure optimo dicere nobis licet, inter omnia eius opera, per humanae carnis assumptionem maxime fuisse illius maiestatem, et magnitudinem amplificatam: siquidem per humanitatis acceptionem Dei magnitudo, excellentia, et potestas mirum in modum declaratur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X. *Commodi hinc sententia magis dicitur auctam non debere seipsum exhausit. In quo dicitur in, quae est prosequitur divini amoris magnitudinem in Incarnationis mysterio velle splendentes, in illa verba: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, quae adamussim explicantur.*

Ad exactam horum verborum intelligentiam meminisse iuvat, Aegyptios olim referente Augustino, qui in rebus per imagines, et similitudines exprimens excellere, amoris Deum, nudum, Minervam vero sapientiae Deam multis operam vestibus depinxisse; significantes in hoc posse quidem amantes sapientiam simulando contemere, nequaquam vero amorem: amor enim igneus pulvis est, quem si exigua scintilla contingat, mille aditus tentat, ut ascendat. In memoriam, si placet, revocemus in huius rei comprobationem, quod Davidi accidit. Cum in Philistaeorum civitate esset, amantem, ac fatuum se simulavit, immoderato gestu inclabat brachia, squallentes menti pilos, atque incompósitos sordidis inhonestabat spuis, stulta verba oscitante ore, ac balbutientis lingua probebat. Hoc Achis rex cum spectaret, velut insanum ludibrio contemptum Davidi dimitti mandavit: abscondit sane hic David sapientiam. Ad videamus utrum amorem celare poterit. Ad regiae domus fenestram se applicans elegantem Bersabee vultum conspexit, et sine pulchritudinis laqueis irretitus, statim elam exarsit, et in regium palatium adduci voluit. Ecce potuit simulare sapientiam, infirmus tamen fuit ad contemendum amorem. Ex his ergo, quae humana sunt, si ad divina descendamus, id ipsum Deo Opt. Max. accidisse comperimus, in quo obscuro indicant seraphim illi, qui alis Dei caput tegebant, cor vero nullis contentum pennis aperte conspiciendum relinquebant: ut ostenderent posse quidem Deum simulare scientiam, contento capite expressam, amorem vero corde designatum nullis posse leguminibus, nullis vestibus, vel stimulari, vel contegi: perpetuis enim incendiaris exarsitans, in nos sui divini Verbi Incarnatione mirifice enitet: Dei enim Filius sacramentum mirifice enitet: Dei enim Filius sapientia est Patris, in quo, ut dicit Apostolus (*Coloss. 2*), *sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei.* Hanc sapientiam per omnes infantes suae vitae omnes contexit, ita ut paucissimis exceptis, omnes tanquam infantem omnis scientiae expertem esse indicarent. Verum amor in infantia celari non potuit, sed tunc manifestus apparuit, cum seipsum in ipso Incarnationis instanti nobis elargitus fuit, pro nobis se Patri offerens, et Pater eundem nobis donavit, dicente d. Iohanne (*c. 3*): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Euculeantes haec verba, theologiam pariter, ac piam valde expositionem proferre libet, ut intellectum simul, et voluntatem non ingrato cibo reficiamus. Sigillatim sententiam exponemus: singula enim verba mysteriis abundant. Sic Deus dilexit mundum. Sanctus Iob

admirari non desinit divini cordis in homines propensionem, et amorem: *Quid est, inquit (c. 7), homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? nec abs re admiratur Iob: etenim obiectum amoris est bonum, et in Deo omne bonum est, omnibusque perfectionibus absolutum, ut ipsemet Moysi dicit (*Exod. 33*): *Ostendam tibi omne bonum.* Quis igitur non stupeat, Deum, in quo omnium bonorum cumulus, universaeque perfectiones, sapientia, omnipotentia, pulchritudo, et infinitae aliae delitescunt, velle erga hominem cor apponere, eumque tam antiqua dilexisset benevolentia, ut amor, quo seipsum diligit, illo antiquior non sit: etenim uterque aeternus fuit, ipso attestante (*Iher. 31*): *Charitas perpetua dilexit te.* Hoc nos admirantes amoris argumentum in coelum usque extollere deberemus, et eo magis, quod amor hic voluntarius est, non necessarius: si enim necessarius esset, tanta admirationis res digna non foret: etenim non libere, sed natura sua compellente diligeret; at non ita se res habet, coactus amor non est, sed gratuitus, et voluntarius (*Iacob. 1*): *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis.* Quod si Deus ab utili sibi emergente alietus nos diligeret, nulla itidem hie amor admiratione dignus esset. At dogma fidei ait, Deum ex nostra dilectione nullatenus perfici, aut quidquam utilitatis percipere: sed sicut sol terram irradians non perficitur in seipso, sed tota radiorum victus in terrae utilitatem redundat, quam fecunditate donat, floribus, et fructibus ornat, aureis, et argenteis mineralibus ditat; ita Deo ex nostris actionibus nulla accrescit utilitas, sed nos totam percipimus; et ideo iussit ipse, quod tametsi fecerimus omnia, quae praeceperit nobis, dicamus (*Luc. 17*): *Sereci multum sumus, scilicet Deo, cui nullam nos utilitatem afferimus.* Adde divinam amorem rem dilectam sibi proposuisse mundum: *Sic Deus dilexit mundum:* in quo tamen nihil, quod divinam dilectionem promerere, inventi, sed quamplurima potius, quae divinam averterent charitatem. Nec enim verbum exprimi, sed nec mente concipi potest, quam tunc ad supremum hoc divini amoris beneficium recipiendum humana corda essent indisposita. Omnia namque Romanorum superbia, qui nimia dominandi cupiditate ardentis universum terrarum orbem suo imperio subiugare contendebant; praetermissa lautorum conviviorum imtemperata consuetudine, spectaculorum exerranda vanitate, seonorum detestanda obscenitate; silentio praeteritis Aegyptiorum idolis, Graecorum mendacis, Chaldaeorum superstitionibus; retinendo piratarum atrociam, Imperatorum crudelitatem, tyrannicam Regum insolentiam; mentis aciem solam convertentur ad effroctam ut vendi Hierosolymitanorum consuetudinem, a pud quos hominum iustorum penuria eo devenit, ut dixerit Deus, universo orbis ambitu perustrato ne unicum quidem iustum invenirendum: *Circuite vias, ait, Hierusalem, et aspice, an inveniat iustum facientem iudicium.* Subditorum malitia increbruerat, eo quod principum, et optimalium iniquitas inundaverat: unde de illis loquens Hieremias ait: *Eccc ma-**

gis hi confregit iugum, ruperunt vincula. Ex alio etiam capite Ecclesiasticorum irium violatio eo pervenerat, ut summi Pontificis dignitas, atque primatus venalis esset. Iosephus item narrat, ob infandas populi illius culpas per 200 annos cessasse prodigiosum illud, et admirabile signum, quod in gemma superhumeralis apparere consueverat. In ea lucidissimus fulgor rutilabat, cum holocausta offerantur: idemque accidebat, cum fortunatus belli eventus futurus erat; quare insolitus in gemma splendor apparet; quare insolitus in gemma splendor belli victoriam praesignabat, eiusque defectus infanctum belli exitum portendebat, unde a praelio tunc se abstinere: quod sane prodigium in magna illius reipublicae utilitatem vergebat. Tandem d. Lucas Evangelista, ut charitatem in divino pectore flagrantem notam faceret, non reticuit circumstantiam indispositionis huius, qua mundus tantis beneficiis indignum se praebebat; immo consulto, antequam de Christi adventu verba faceret, regi Israel tyrannicos possessores, et Pontificiae dignitatis simoniacos usurpatores commemorat, dicens: *Anno quinquagesimo Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudaeam, etc.* sic enim videbat magis splendere divinam charitatem, dum Deus, in quem frequenter mundus divinam iram provocans, peccatorum emittebat facula, tanta eos charitate dilexit, ut proprium donavit Filium. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Atque hoc est, quod extollit Apostolus, dicens (Joan. 3): *Commendat Deus charitatem suam in nobis: quoniam, cum inimici essemus, reconciliavit sumus Deo per mortem Filii eius.* Sane quod Deus iustos diligit; *Ego diligentes me diligo*, tanta admiratione res digna non est, cum eam, quam ipse contulit sanctitatem, et rectitudinem, in quam ferantur, in illis reperiat; verum quod praevaricantem mundum diligit, dicente Sapiente (Sap. 24): *Odio sunt Deo impius, et impietas eius*, hoc est, quod in admirationem rapuit Apostolum: *Quoniam cum inimici essemus.* Nemo tamen ob hoc quisquam insipientiae me arguat, quod ita divinum erga homines amorem extulerim, ut imprudentem illum reddere videar, cum nemo sit, qui ignoret imprudentiae coarguendum illum, qui rem dilectione indignam amore prosequitur. Sed absit tanta dementia. Non est sane imprudens divinus amor, sed sapientissimus, quia tametsi ex parte hominis nihil sit, quod divinam dilectionem mereatur; ex parte tamen ipsius Dei, ut optime adnotavit Chrysostomus (not. 7. ad Timot.): maxima adest ratio urgensque motivum ad diligendos homines, immensum scilicet suae bonitatis pondus, quod divinam non solum excitavit, sed in pulvis volutalem, ut tanto benevolentiae amore ipsos etiam peccatores, et inimicos prosequeretur, ut Filium suum illis donaverit. Hinc ex magnitudine doni facile erit amoris magnitudinem venari, sic enim Deus dilexit mundum, non minus, quam Filium nobis tradidit, Filium suae aequae bonum, sapientem, potentem, ac ipsum Deum. Emphasis non parvam praeferebant verba illa, *Filium dedit*, est enim quasi diceret: Non paradum dedit delictarum,

sicut Adamo; non mundi dominium, ut Alexandro; non Indicas Orientis plagas, innumeraque regna, ut potentissimo Hispaniarum regi; sed filium dedit, non angelum, non cherubim, aut seraphim; hoc enim quasi nihil esset, si cum hoc tanto dono compararetur: filium dedit non adoptivum, sed naturalem, et ex propriis visceribus genitum: id enim subsequens verbum manifestat, *Filium suum*: a deo certe suum, ut in hoc etiam, sicut in ceteris, humanae paternitatis conditionem longo intervallo antecellat: parentes enim, licet appellare proprios filios suos consueverint, compertum tamen est, id quod praecipuum est in illis, nempe animam, non a Patre generante, sed a solo Deo processisse; Dei autem Filius nihil prorsus habet, quod a Patre non accepit (Luc. 15): *Omnia mea tua sunt.* Unde haec ratio evidens est, magis divinum Filium Patris esse, quam ceteri filii parentum suorum. Verum tametsi daremus, animam patrem filio generatione praebere, assumme illum Deo, ut instrumentum creationis: quod possibile esse gravissimi Theologi non inficiantur, adhuc non ita suus diceretur filius, ac Dei Filius Patris est: distincta enim natura diverso intellectus, et libero potest arbitrio, ratione cuius magis suus, quam Patris esset; ut Dei Filius adeo Patris est, ut eadem prorsus natura, intellectus, voluntate, isdemque absolutis perfectionibus, quibus Pater ipse polleat. Atque haec arbitror esse verborum illorum, *Filium suum*, legitimam, ac germanam expositionem.

Sed iam videamus, quid sibi velit, quod superaddit, *unigenitum.* Animadvertite, inquit sanctus Iohannes, quod Filius hic, quem tradit Pater, utentis est in domo eius, atque imperii haeret: *Quem constituit haereditem universarum*, ut ait d. Paulus (ad Hebr. 1). Certe si alienum donasset filium, inquit Chrysostomus, non adeo eius charitas splendisset; verum cum unigenitum, id sane est summae dilectionis indicium. Iacob, ut filium suum Simeonem in Aegypto detentum rediret, vix adduci potuit, ut Beniamin pro modicum temporis a paterna domo recederet, quamvis alioquin plures alii filii ei superessent. Ergo cum Deus unigenitum suum pupillum oculorum suorum nobis alacriter ex largitus fuerit, ineffabilem esse divini amoris excessum, nemo infelici poterit. Commemorant historiae Pauli Emilii eximiam liberalitatem, et amorem, quod ex quatuor, quos habebat filios, duos in adoptionem, Fabio unum, alterum Cornelio dederit; sed hic amor, si cum Dei amore compararetur, nemo est, qui non videat longe inferiorem esse Emilii sibi filium non unicum, hic Deus unigenitum nobis donat; ibi homo homini, hic Deus homini tradidit; ibi, ut filii in parentum bona succedentes felicem vitam agerent, hic, ut unicus Filius eius pro nobis moriturus vita privaretur. Sed iam admodum verba amoris plena enucleemus, ut *Filium suum unigenitum daret.* Irrevocabili inter vivos donatione largitus est nobis Deus unigenitum suum: id enim sibi vult verbum illud, *Daret.* Donum autem hoc tanti valet, quanti Deus, idque cum absque ulla

commutatione, aut pretio dederit, singularis est liberalitas, ineffabilis magnificentia, indicibilis Dei charitas, dilectio summa. Cum enim nosset recte Deus nos divini Verbi Incarnationem nulla ratione promereri, aut condigno, vel aequali pretio rem tantam comparare posse, gratis tantum bonum nobis donavit, dicente Iohanne (c. 5): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; quasi dicat: non pretio, sed dono dedit. Sed quaeret quispiam, quemnam finem ultra suam gloriam respexerit Deus, aut quaenam causa illum impulserit, ut tam insigne beneficium in nos conferret? Respondeo, dubitari non posse, quin Pater Filium suum naturalem nobis tradens, voluerit nos filios adoptivos reddere, ut participes cum illo caelestis haereditatis reddamur, iuxta illud Apostoli (ad Gal. 4): *Quod si filii, et haereditas: quidem Dei, cohaereditas autem Christi.* Cum enim Deus naturalem filiationem alteri, quam Verbo divino praebere non possit, utpote, quod tanquam propriam, et alius incommunicabilem Verbum ipsum sibi illam vindicet; cumque solus Christus Dominus ex gratuita Dei praedestinatione illam habeat, dicente Paulo, quod *praedestinatus est Filius Dei in virtute*: fecit sane nos adoptiva filiatione gaudere, qua nunc, consortes facti divinae naturae, fruimur, ut idem dicit Apostolus: *Misit Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus*; ac si diceret: *Misit Filium suum naturalem, ut nos filios illegitimos legitimos redderet.* Certe antequam Incarnationis mysterium executioni mandaretur, filii Dei illegitimi eramus, nam Verbum divinum nobis tunc matrimonium cum humana natura contraxerat, ut verbis tantum de futuro sponderat; unde Abraham, Isaac, et Iacob quantumcumque filii Dei dilectissimi, nequam tamen coelesti fructantur haereditate, quia id ad solos legitimos filios spectat. Ad desponsata cum Verbo divino humana natura, illegitimi filii, utpote iam legitimi, ad divinam haereditatem admittuntur, ut ait d. Paulus (ad Gal. 4): *Haereditas Dei, cohaereditas autem Christi.* Et sicut filii illegitimi expediti, et, ut vulgo dicitur, habilitari solent, ut ab irregularitate, quam incurrant, ad sacros ordines ascendentes sacris initiari possint; ita divini Verbi Incarnatione habiles, et expeditos nos reddidit, ut ad sublimes angelorum ordines ascenderet, sedesque, unde superbi angeli deturbati sunt, occupare possemus.

Verum attendamus, utrum Dei Filius nos ad suae filiationis participationem admitti patiat: quia si aeternus Pater nostrae adoptionis iura inviolata servat, consequenter ad aeternam haereditatem vocat, ac caelestium bonorum participes efficiamur, cum illa haereditatis divisio odium parere solet, ut experientia ipsa quotidiana, et maiorum gesta aperte docent. Iacob, et Esau ante matris partum de legitimitate iure invicem contendentes, in ipso matris utero dimicabant, quis prior in lacem prodiret, ut haereditatis iura acquireret. Fratres Iosephi aegre ferentes dominium illius, tametsi somniantem, in cisternam illum miserunt, et tandem inde eductum Ismaelitis ven-

diderunt. Absolunt patrem in regno consortem renuit. Adonias regnum patris affectat, et Salomone fratre despecto, solus regnare anhelat. Ac tandem primi Romanae Urbis erectores Remus et Romulus, quamvis germinati, alter alterum superstitem nolens, ut suos ipse regnaret, illum interfecit. Non diffusetur verissima haec omnia esse, quia cum finita, valdeque limitata sint omnia mundi regna, necesse est facta eorum divisione minus singulis contingere, et ideo singulis integrum haereditatem affectant. At inexasum divinarum divitiarum pelagus etiam si inter infinitos esset dividendum, nemo propterea minus caperet, quia infinitum, et illimitatum est. Unde d. Ambrosius Apostoli verba explicans: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri: Magna quidem, ait, benevolentia, unicus natus est, et noluit manere unus: non limitat habere cohaereditas, quia haereditas eius non fit angusta, si eam nulli possederint.*

Colligimus ergo ex his omnibus, si rationem inquiramus, propter quam et Deus miserit Filium suum humanae carnis amicum indutum, et nos in filios adoptaverit, et ad aeternam haereditatem vocaverit, et ad illam consequendam specialem ius dederit, nullam aliam reperiri, nisi ardorem Dei amorem, quod sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Philosophi ab effectibus, quos videbant, primam omnium supremam causam, nulla alia casualam venati sunt, a qua omnia creata ortum ducerent, ipsi vero a nemine. Et sicut cognoverunt primam hanc omnium causam nulla necessitate compulsam, sed libera voluntate ductam operari, philosophantes dixerunt, amoris bona omnia creaturis collata tribuenda esse. Unde Parmenides, quem secuti sunt Platonici, referente Philosopho, primum omnium Deorum amorem fuisse asseruit. Eundem philosophandi morem ab Ethnicis mutant, catholice veritatis fas erit aptare. Certe Deum nostrum essentialiter esse amorem, dicente Iohanne (c. 4): *Deus charitas est*, nemo catholice inficiari poterit. Amore ergo compulsus hominem condidit, cumque peccati labe contaminatum, purissimo Filii sui sanguine abluit, amore sacramenta donavit, amore cuncta quae possidet, liberaliter imperitus est. Omnium igitur causa est amor, ipse tamen a nobis causatus. Itaque si Abraham, eiusque in posteris venturae prosperitatis, et beneficiis causam inquiramus, causa praesto adest (Genes. 22): *Quia fecisti hanc rem, et non peperisti filio tuo unigenito, benedixim tibi, et multiplicabo semen tuum, sicut stellas caeli.* Si Iacob illustrius nomen imputat, felices effectus causa indicatur (Genes. 32): *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevaleris?* Si Paulo reposita est, ut ipse dicebat, corona iustitiae, causa ideo subiungit (Rom. 3): *Quia bonum certamen certavi, cursum consummavi.* Et quamvis compertum sit, primam, quae nobis donatur, gratiam nos non mereri, ut docet Apostolus (2. Tim. 4): *Iustificati gratis per gratiam ipsius*; verum ex Christi operibus, tanquam ex causa meritoria, illa nobis confertur; unde subdit: *Per redem-*

ptionem ipsius in Christo Iesu. Immo ipsam Christi exaltationem ex obedientia, tanquam ex causa provenisse, idem testatur, dicens (Philipp. 2): *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum.* Ac tandem, si aeternus Pater in tempore ad nos proprium mittit Filium, humana carne coniectum, id ex amore provenisse testatur Iohannes: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Verum si huius amoris causam inquiras, impossibile quid tentabis: ipse enim est fons, et origo, et prima omnium bonorum causa, atque adeo omnino iucundata; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XI.

*De Dei erga homines ardenti amore, tam ex parte Patris dantis, quam ex parte Filii nobis dati, in illa eadem verba: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, quae multiplici Patrum eruditione illustrantur.*

Gravissimi propositi argumenti tractationem non absque timore aggrediendi verba d. Pauli ad Ephesios scribentis ad rem nostram accommodatissima occurrerant, quibus admonet, ut mentis nostrae conatum omni ex parte exhibeamus in perpetenda, mensurandaque amoris divini magnitudine, quam, ut exponit d. Thom. Deus Pater nobis Filium tradens ostendit: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, sublimitas, et profundum, scire etiam supereminentem charitatem Christi;* id est quam Pater fecit per Christum, ut ipse explicat. Usurpat hoc loco d. Paulus similitudinem quandam quantitas, quam Philosophi tribus dimensionibus, longitudo, latitudo, et profunditate dimetiuntur; at Apostolus quartam aliam addidit charitatis Christi dimensionem. Prima est latitudo, quae se ad omnium salutem operandam extendit (1. ad Tim. 2): *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Longitudo, quae ad longissimas etiam regiones ignotae charitatis flamma emittit, adeo ut Indi, Scythae, Aethiopes, alique plerique gentes illius amoris scintillas frequenter experiantur, nec ullus sit, qui se abscondat a calore eius. Altitudo, quia charitas, utpote ignis, empyrei coeli alta ascendit, ibique tam gloriosum opus peragit, ut seraphim, fortunatosque spiritus ardentissimo amoris igne succendat. Denum profunditas, quae tanta existit, ut ipsos etiam penetrarit abyssos, sanctos illos Patres ingenti subito reficiens, qui per tot annos e caliginosi illius carceris tenebris liberari avidissime desiderabant, et quae in Purgatorio cruciabantur, animas vel omnes eriperit, vel suae liberationis certissime sui solatio recreaverit. Arduam sane ac perdiffi-

cilem provinciam arbitror huius amoris ignem in divino pectore flagrantis pendere, ac mensurare, prout nobis praecepit d. Paulus: *eius enim activitas neque mensura contineri, nec eius sphaera terminis coerceri potest.* Memini quondam angelum Esdrae dixisse (3. Esd. 4): *Pondera mihi ignis pondus;* ipse tamen ita obstupuit prae magnitudine interrogationis, ut rem omnino impossibilem videretur postulare. Cum Ezechiel etiam alium conposuit angelum, omnia quae in templo erant mensuravit, non ausus est templi ignem pondere mensurare, ea certe ratione, ut arbitror, quia divini amoris effluens erat. Quo ergo pacto nos audebimus angusto brevique mentis nostrae funiculo ipsius divini amoris ignem, qui immensus est, mensurare? Quia si in veteri Testamento lego, sanctum erat, ne via eademque statera profana, et quae Dei cultui sacra erant, expendentur, sed peculiari quadam mensura, quae divina erant, examinarentur, eo quod, ut inquit Philo sophus, *mensura, et mensuratum debent proportionari;* qui fieri potest, ut cum tantis sit divini amor, quantus est Deus, ipsi sufficiens inveniat mensura, quae illum aequet? Enim vero si Paulus praecepit divini nos amoris magnitudinem pendere, hoc absque dubio spondet, ut amplissimis quibusque mensuris illum metiri testantes, cum viderimus omnes defecere, clamemus immensam, infinitam, atque incomprehensibilem esse eius dilectionem, fateamurque nec mensura aliqua perferri, aut iusto pondere perpendi posse, ac tandem charitate Christi urgente nos, ut ait d. Paulus, accendamus, et inflammemus in amore illius, qui tam ardentem nos dilexit, ut ne minimum quidem sui amoris verbis unquam potuerit explicari. Tametsi succumbentes tanta difficultatis ponderi, proferamus saltem, si placeat, quae catholicae Ecclesiae Patres, exponentes verba illa gravissimis mysteriis referat, *sic Deus dilexit mundum*, scripta prodiderunt.

D. Augustinus, inquit, hoc sic tantum esse, ac si maximi causidam Principis servus magnis febribus aestuaret, nullumque aliud ad eius sanitatem remedium superesset, nisi balneum, ex sanguine filii principis: Pater tunc, servi salutem consulens, filium totius regni unicum haeridem traderet, venas incideret, sanguinem universum eiecet, vitaeque privaret. Talis fuit erga nos aeterni Patris dilectio, quae, ut servos pristina libertate, et sanitate donaret, Filium tradidit, ut venis eius, spinarum, ac clavorum aculeis incisis, sanguinem, quo peccatores abstergerentur, profundere: *O mira charitatis dilectio*, ait d. Gregorius, *ut serum redimeres, Filium tradidisti.* Apta sane haec videri potest ad rem explicandam similitudo; absque dabo tamen ardentissimus Dei amor terreni huius Principis amorem infinito antecellit intervallo, vita enim illius limiti finitumque pretii erat; at humana Christi vita, quam Pater pro nobis exposuit, utpote infinito supposito hypostatice unionis vinculo unita, infinitum ab eo valorem mutabat, atque adeo nullo pretio comparari poterat.

D. Iohannes Chrysostomus tale illud sic esse autumat, ac si rex quidam agnoscens rem-

publicam in summo discrimine constitutam, ob immanissimos hostes in eam irruentes, ipse, ut subditos a tanto periculo erueret, hasta in medios inimicos mortuuras irrumperet, ibique animam offlaret, prout re ipsa novimus fecisse regem Codrum, id attestantibus d. Augustino, et Lactantio. Sanctus etiam Iustinus martyr, et Virgilius referunt de quodam viro, quod cum ab oraculo accepisset, illum ex duobus exercitibus de altero victoriam reportaturam, cuius Rex in bello succumberet, illico ipse oplans sui exercitus triumphum, alienis indutus vestibus, quibus se regem simulabat, paganos coepit, et in media pugna incognitus occubuit. De Curio equite Romano narrat historici, quod cum oraculo praedicente comperisset, luem quandam pessimam Romanos inferentem, a venenatis pestiferisque vaporibus e profundissimo lacu ascendentibus ortam, nequaquam cessaturam, nisi in eum civis aliqui Romanus cuncto spectante populo praecipitem se daret, continuo in eum se proiecit, ut patriam a tantis angustis liberam redderet. Non aliter Christus, ut nos in satanae captivitate misere degenes libertate donaret, incogitavit, ut ait Iohannes (c. 1): *Et mundus eum non cognovit*, crucis equum ascendens praecipitem aggressus est, et per medios hostes irrumperens defunctus vita sanguinem effudit suum, ne in mortis fauces praecipites rueremus omnes. Verum etsi hoc Christi amorem aequare videatur; re vera tamen non aequal, immo longe ab illo distat. Si enim rex ille militum discriminibus occurrit, quod ex iustitia ad eum spectabat, complexit summum enim caput, quamvis regium, pro communi totius republicae salute intercessionem se offerre, aequum est; at Christus ex iustitia non tenebatur: omnia enim charitate impellente operatus est, dicente Paulo (Eph. 2): *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos: eiusque vita universo mundo, immo, et infinitis anteponenda erat.* Christi ergo amor regis illius dilectionem ita longe excedit, ut nemine ambigente, nequaquam possit unus alter comparari.

B. Irenaeus aliter exponit illud sic. Sicut enim, inquit, Eliseus propheta, ut vitam pueri restitueret, ita sese compressit, ut oculos oculis, os ori, pedibusque pueri defuncti pedes coplartur suos: non aliter Dei Verbum, ut vitam hominibus largiretur, intra exiguum corpusculum infantilis corporis parvitate induens se contraxit. Verum hoc divini amoris metam minima attingit; neque enim Eliseus vitam puero praebens e vita decessit, nec ad immortalem vitam infans resurrexit, sed ut iterum mox moreretur; at Christus vitam nostram propria vita rependit: sua enim morte nostram destruxit, illaque nos ad immortalem vitam evocavit, ipso attestante (Joan. 6): *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Sanctus Iohannes Damascenus illud sic in hunc modum interpretatur. Sicut si medicus iuxta medicinae documenta ad salutem aegroti necessarium iudicaret, humani sanguinis lavacro saepius recreari, idem medicus e suis visceribus elicuit sanguinem offerret, ut sanaret aegrotum. Medicus erat Christus, mundus

que totus magnis febribus tenebatur, ut sanctus Augustinus testatur: *Magnus de caelo venit medicus, quia magnus in terra inebat aegrotus.* Sciens perississimum hic medicus, totam aegroti salutem ex eo pendere, quod aegrotus ipsius medici sanguine abstergeretur, prout abluere fuerat, quod vidit B. Iohannes (Apost. 7): *Qui dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni:* certe quamvis tanti, ac tam difficultis pretii medicamen hoc esset, liberaliter Christus illud profudit. Narrant historici, quod cum medici Constantini Imperatoris sanitati consulentes, qui lepra morbo laborabat, illum in humano sanguinis balneo madere iusserunt, ut et S. Silvestri gesta commemorant, d. Petrus, et d. Paulus Imperatori apparentes impii balnei immantatem detestantes, tanti pretii medelam dissuasent. Verum hanc credulitatem Dei amor in divina pietate converti faciens, ex caelestis huius medici sanguine balneum confecit, quo culpam nostram lepra mundaretur. Hinc perspicuum est, quantum divinus hic amor illum alium superet: ille enim mente tantum conceptus; hic opere completus est: quod etsi uterque in externum opus profiretur, excederet adhuc divinus amor: nam cum potuisset Christus Dominus facillioribus remediis nostram sublevare miseriam, et communi omnium infirmitati consulere, maluit proprii sanguinis effusione id praestare, ut magis ac magis mira eius erga nos dilectio innotesceret.

D. Cyprianus ad illud sic elucidandum viam aliam ingressus est. Sicut, inquit, mater lactans puerum, si in comas matris, ut ubera dilaceret, nequaquam lac denegat, sed maternis blanditiis illum demulcens, alio cibati, et propinat ubere; sic Deus adeo dilexit mundum, ut cum sinistrum honorum temporalium mammillam praebuisset, dicente Propheta (Ps. 8): *Omnia subiecit sub pedibus eius*, ipse illis omnibus in Creatoris iniuriarum abusus fuerit; Deus tamen in eum non solum non exandescens, sed quasi mater amantissima dilecto infanti blandiens, mammillam suam dexteram, hoc est dilectum unicum Filium suum illi porrigit, quo sane nullum maius, aut excellentius donum, tametsi detur fingendi libertas, exogitari potest. Apte etiam dicere possemus duo Dei Patris ubera Filium esse pariter, et Spiritum sanctum, adeoque mirabilem, atque singularem fuisse eius amorem, ut quamvis primam sui Filii mammam illis exhibuit exciderint, atque dilaniaverint, sponte nihilo minus alteram Spiritus sancti praebuit, sicut per Isaiam (c. 66) promiserat: *Ad ubera mea portabimini.* Verum licet hoc persimile videatur, illud unum dissimile est, et incomparabile, quod quamvis matrem puer dilaceret suam, novit tamen id non privavit, et malitiae, sed infantilis aetatis ignorantiae adscribendum fore: ad novit optime Deus homines ingratitudeis spiritu agitados, pro collatis beneficiis peccata multa rependere, et nihilominus tamen utraque ubera hominibus libens oblat.

D. Hieronymus dilectionem hanc persimilem existimat illi, quae inter duos familiares constantissimos amicitiae legum custodes intercedere solet, quorum alter pro altero milites

emori non dubitaret, si milles emori posset. In istorum numerum referendi sunt Theseus, et Pythios, Castor, et Pollux, Damon, et Pythias, et alii, Pythagorae auditores, et referunt s. Ambrosius (*libr. 2. de Virg.*), et d. Thomas (*lib. 1. de Reg. princip. c. 10*). Cum ergo amicus capite damnatus custodiretur in carcere inssu Dionysii regis Siciliae, alter seipsum pro obside obtulit, ut amicus libertate donaretur, donec rebus quibusdam suis, quae negotium ipsi facessabant, finem imponeret: quibus completis statuto tempore se praesentem exhibuit, et vitam sponte neci tradidit, ne quidquam detrimenti pateretur amicus. Narrat item Xenophon, quod cum mulierem quandam regio ortam sanguine Tygranis sponsam hostis in servitute redegisset, interrogata, quid pretii domino pro sua libertate erogare vellet: respondisse, virum suum daturam, a quo tam ardentem se diligere agnoscebat; ut pro ea liberanda in servitute redigi velle non dubitaret. Verum etiam si maxima mensura haec videatur, brevis tamen est ad Christi amorem attingendum: quamvis enim amicus pro amico, sponsum pro sponsa vitam effundam suam, iure debiti potius, quam gratis hoc faciunt: nam cum alter alterum beneficiis devinxerit, aequum est, ut alter pro altero vitam exponat; et homines in Deum beneficia conferre non poterant, obsequia quae poterant non exhibebant, immo infariis afflictebant, tantaque ingratitudine divinae pietatis fontem non exsiccante, divinus amor in eos liberalem se praebens, multis beneficiis cumulavit: hoc sane omnes amoris limites excedit: nam cum amoris terminus, et meta sit, vitam pro amicis profunderet, Christo dicente: *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; certe immensus Dei amor, quia nullis terminis coerceri poterat, limites hos transiit, vitam non pro amicis tantum, sed pro ipsis etiam inimicis libenter exponens, ut ponderat d. Paulus, dicens (*Rom. c. 5*): *Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem in hoc charitatem suam Deus: nam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Haec maximum amoris excessum redoleat, iuxta Pauli sententiam, vitam pro amicis offerre, pro inimicis autem nullo potest pretio rependi, nulla mensura pertingi, nullo denique pondere iuste aestimari. Ea propter dicunt nonnulli, quod si Deus pro rationis expertibus creaturis animam obtulisset, non tanti eius oblatio aestimanda esset, quanti, quod posuerit illam pro rationis participibus: illa enim semper Deo obediunt, ut ait Regius vales (*Psal. 114*): *Quoniam omnia serviant tibi, neque unquam eius mandata transgrediuntur* (*Psal. 148*): *Praeceptum posuit, et non praeteribit.* Praeceptum coelis, et non moverunt; et ab incepto motu nec per minimum temporis intervallum desistant. Quod si temporibus Iosue solum cursum sol retardavit, id Dei iussu accidit. Imperat terrae, ne loco suo, in quo fundata est, moveatur; et semper immobilis perseverat (*Psal. 118*): *Fundasti terram, et permanet.* Praecipit undis maris, ne terram operiant; nec unquam imposi-

tam sibi legem transgressae sunt (*Psal. 103*): *Terminum posuisti, quem non transgredientur, ut ait Propheta.* Solus homo inobediens et rebellis existens divina mandata contemnit, et contra Deum insurgens, in faciem ei obstinate resistit. Animam ergo pro huiusmodi hominum ingrato genere povere, maioris praestantiorisque dilectionis iudicium esse, nemo sane mentis inficias ibit. Memini etiam memorabilis cuiusdam exempli oblivioni nunquam tradendi, ad hoc idem magis explicandum. Narrat illud Valerius Maximus (*lib. 6. cap. 3*), non paucis effereis encomiis Pomponii cuiusdam servum, qui cum animadverteret hostes multo studio dominum suam investigantes, ut illum occiderent, ipse vestibus sui domini indutus, ac illum se esse simulans, mortem ab hostibus pro domino, quem inimici interimere moliebantur, libenter subit. Subditque Valerius: *Brevis facti narratio, sed non parva materia laudationis.* Verum non iste, tametsi eximus sit, nequaquam ardentem Christi amorem exposit: ibi enim servus pro domino vitam exposuit, a quo innumera receperat beneficia; hic autem dominus pro servo, qui tot in dominum facinora patraverat. Haec etiam spectat, quod historici commemorant de Agesilao Lacedaemoniorum rege, qui, cum exercitus eius ab hoste devictus fuisset, ipsemet pro obside seipsum hosti tradidit, donec pretium pro sua, militumque liberatione delatum est. Persimilis huic amori Davidis dilectio, qui angelo omnes sibi obvios confodiente, paterna miseratione commotus, in haec verba prorupit (*2. Reg. 24*): *Ego sum qui peccavi, ego qui inique egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? quasi diceret: In me, qui pastor iniquus sum, veritatem furor tuus, non in oves iniquitatis meae expertes. Ceterum nec haec utraque dilectio cum Christi amore comparari valet: si enim Agesilaus, tanquam obses inter hostes detentus est, eius incuria id accidit, quae adeo excrevit, ut se, et suos omnino perderet, et in hostium manus traderet; unde propriam deplorabat culpam, et iustas pro meritis solvebat poenas, et ut ipse invitus fateretur, dicens: *Aequum est, ut nos nostra feramus errata.* Quod autem Christus, quem constat esse et splendorem Patris, et figuram substantiae eius, ut ait Paulus, atque adeo ipsam sanctitatem, et rectitudinem, pro peccatoribus vitam rependat, id sane est amoris inauditus excessus. Quod si etiam David a Deo efflagitabat, ut in se divinae iustitiae flagella converterentur, noverat quidem ipse se peccasse, cum incredibili superbia inflatus populum numeraret; Christus autem Dominus ab omni culpa longe alienus erat, et tamen, ut nocentes innocens eriperet, debita nostris flagitiis flagella in carne sua pertulit, et quaerentibus occurrens dixit (*Ioan. 18*): *Si me quaeritis, sinite hos obire.* Haec sunt proculdubio incredibiles, ineffabiles, ac haecenus inauditi amoris iudicia.*

Aecedant iam in idem argumenti genus ad illud sic magis illustrandum, illanquam satis laudata duarum illustrium feminarum certissima amoris signa, Artemisiae scilicet, et Hesiones. De haec refert Pierius, quod cum ei

duos natos, qui ad matris sinum confugerant, miles Ptolemaeo mandante interfectorum occurreret, ipsa proprio corpore illis obtento, pectus, caput, manisque militibus obicit, eos totata est. De Artemisia narrat historici alii, quod adeo virum dilexit suum, ut post eius interitum viri ossa in pulverem redegerit, eaque potaverit, ut in viventem sponsae conversationem substantiam, eius vita viveret. Verum neque haec divinae dilectionis excellentiam attingunt: ibi enim maternum munus, naturaeque debitum filiorum incolomitatibus consulendi, Hesiones urgebat viscera, ut eorum protectionibus, ac defensionibus incumberet; Christus autem hominibus nihil debebat, ipse creditor erat, nos debitores. Et si Artemisia vitam viri ossibus tribuit, non propterea propriam amisit; at Christus vitam nobis, propriam amisit, largitus est. Tandem si Iephthae, et Abraham magno Deum amore prosequi vult, hic filium ex obedientia, ille ex religione filiam Deo in holocaustum offerre satagentes: plus sane amoris ostendit Pater aeternus: etenim illi, quod Dei potius erat, quam proprium ipsorum, Deo offerebant, cum proles humana magis sit Dei, quam creaturae, utpote quod partes eius, materia scilicet prima, et anima, a solo Deo per creationem sint, non a generate; at Pater aeternus, nobis proprium largitus est Filium, cuius nihil nostrum erat. Idem accidit martyribus, qui quamvis animam pro Christo effunderent, illud Deo offerebant, quod ab eo receperant, quodque illi multiplici iure debebatur; id autem procul a Deo abest, manifestum enim est Patrem non a nobis accepisse Filium, sed a se illum sibi habere constantialem.

Cum igitur omnis humanus amor brevis angustaque mensura sit ad divinum circumscribendum, exploremus paulisper, an ceterum animalium amor eo pertingat, ut divinum amorem aequa lance mensurare valeat. Bruta enim animalia, cum vi naturae impulsu, et non ex electione operantur, in hoc inter cetera a ratione praeditis valde discrepant, quod haec nunquam totam, quam possunt, dilectionem impendant: etenim ardentius, quam diligunt, diligere possunt; illa vero suam virtutem, et activitatem penitus profundunt, dicente Philosopho: Agens naturale agit quantum potest. Unde fit, quod, cum vel ament, vel oderunt, totam sui appetitum vim, et conatum in amore, vel odio impendant. Percurramus ergo animalia ardore dilectionis insigniora, forte mensura occurret nobis, quae possimus illud sic attingere. Neminem ignorare arbitror, Deum divini amoris propalantis gratia aquilae se comparasse (*Deut. 32*): *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans assumpsit, et portavit in humeris suis.* Narrat naturales, tunc aquilam amorem erga filios ostendere, cum illos incommode in nido iacere animadvertens, regia quodam magnanimitate alium aptiorem, et commodiorem construit, cumque eos ex veteri nido in alterum transferat, nequaquam unquam admovent, ne forte quidquam illos laedat, sed semper alae assumit, et in humeris incolumes ducit: unde si in itinere contingat,

ut venatores facula in illam mittant, prius matrem telo confodiendam, quam pullos percutendos omnino necessum est. Quamvis autem tanta sit aquilae erga pullos suos dilectio; tamen, ut adnotat Clemens Alexand. et Elianus, tot defatigata pullos illos ad solis radios examinat, vidensque eorum nonnullis oculis clarulorum, atque fulgorem, inlenta in solis oculorum acie, ferre non posse, tanquam adulteros, et a regio aquilam sanguine degeneres a se abicit. Verum Christi amor adeo in divino, ac humano eius pectore effervet, ut in via nullum unquam filium ita abhorreat, ut a se penitus illum proficiat: quin potius sibi pergratum esset non omnes in domum suam excipere. Maximis etiam laudibus pellicani amor extolli consuevit, cui saepe pariter Christus comparavit (*Psal. 104*): *Similis factus sum pellicano solitudinis.* Refert Pierius Valerianus, illudque a d. Hierone mutavit, avem hanc suos pullos tanto amore prosequi, ut si eos aegrotantes sauciosque conspiceret, lacero pectore suo, venisque scissis, proprioque sanguine eorum vulnera fovens, ad pristinum sanitatem restituit. Verum Christi amor amorem hunc mirum in modum superat, quia, ut Ambrosius (*in suo diction. ver. Pelic.*) aduolavit, avis haec pullos suos pungi, plagasque eis infligit; quod si proprio postea medetur sanguine, hoc efficit, ut quod perperam fecerat, reficiat; at Christus Dominus vulnera nobis alligat, non quae ipse intulit, sed quae misceri inepte nobismetipsis infliximus, nec solum pectus, ut pellicanus, patitur confodi, verum caput etiam, manus, et pedes; nec partem sanguinis, ut ille, sed totum exauriri permittit, et voluit. Tandem inter aves nulla est tam eximii erga suos pullos amoris, quantum gallina, cui Christus se comparavit (*Matt. 23*): *Quoties volui, sicut gallina, congregare filios tuos sub alas, et noluiisti? Velemeus adeo est huius avis erga pullos suos dilectio, ut praeterquam in confodendis valde laboret, insudet postquam in lucem edidit, in eis alendis, et educandis infirmetur, et vires absumat; infirma tamen, ac debilis, pristinisque viribus destituta, si forte milvum filios invadentem animadvertat, quasi effera tygris in eum excaecata, ut filiorum incolomitatibus consulat. Hinc etiam amorem Christi dilectione inferiorem esse eo aperte liquet, quod praeterquam pullos suos assidue suae protectionis alis fovet, illisque seipsum ad eorum defensionem constant inexpugnabile exhibet scutum, atrocissimisque passionis doloribus affectus, vires consumpsit: ex duplici alio capite Christi amor avis huius dilectionem superat. Primo, quia educit in lucem pullos, grandioribusque iam effectus, nequaquam in posterum curam illorum gerit, aut vitae necessaria subministrat, sed singuli ab ea derelicti, victum quaerentes sibi ipsis consulunt. Ceterum Christus, nec per momentum quidem temporis a filiorum tutela se abstinet, semper illis prospicit: *Usque ad senectam, inquit* (*Isaiae 46*), *ego ipse feram, et usque ad canos ego portabo.* Ne autem illorum unquam oblivisceretur, propriis manibus illos insculpsit (*Isaiae 49*): *In manibus meis scripsi**

te; et utriusque manus vulneribus, tanquam annulis ad reminiscendum stimulantibus utilis, ne unquam e memoria excidant. In eo etiam Christi amor amore gallinae superat, quod illa, ut filios tutelet, nequam vita privari patitur; immo si contra eam virgam extendas, aufugit, et filios praedae expositos derelinquit, propriae potius, quam filiorum incolumitali prospiciens: Christus autem divinae iustitiae flagella, quibus nos vulgare merebamur, in se ipso portavit, cumque natura impellat, membris potius caput protegere, quam e contra; dilectio Christi adeo naturam superavit, ut cum ipse triumphantis, militantisque Ecclesiae caput existeret, divinae iracundiae facula sustinens velut clypeum, seipsum illis exposuerit, ut nos, qui sui mystici corporis membra sumus, incolentes servaret, atque defenderet. Cum igitur, nec inter libera, neque naturalia agentia apta reperitur mensura ad illud sic attingendum, oportet, ut sic, quasi intactam relinquamus, fateamurque nos ad divini amoris magnitudinem exquirendam impares omnino esse, ac prorsus insufficientes, solumque Deum Optimum Maximum illam comprehendere; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XII.

*De divinae misericordiae magnitudine, quae licet in altis Dei operibus valde splendat, maxime tamen in Verbi divini Incarnatione effulget.*

Frequenter adeo mortales Dei misericordiam in sublevandis eorum miseris experti sunt, ut ad miserendum magnam ei inesse propensionem, unanimi consensu fateantur. Verum quia divinae fidei certitudo id nobis firmius persuadet, quam experientia ipsa, libet varia sacrarum voluminum testimonia ad rem hanc comprobendam in medium producere. Aequam tamen manum operi admoveam, fateor me dubio, ac accipit animo fluctuare: nam sicut venator, cum plurimos conspicit lepores, pari loci intervallo distantes, quemnam feriat, perplexitate laborat; sic sane, cum tot, ac tam variis figuris, tamque pulchris similitudinibus divina secatat Scriptura ad infinitum Dei misericordiam elucidandam; quasnam earum seligam, prorsus me lalet. Ceterum cum sacrarum litterarum testimonia nequam se habeant velut fugaces lepores, quorum dum unum insectamur, effugit alius; licet, Deo auspice, eorum praecipua, et utiliora, magisque necessaria in medium proferre: in quo, si plus solito moratus fuerim, homini quaeso consulat lector: nam cum misericordia Dei magna sit, non nisi magnum oportebat de ea habere sermonem.

Ut ergo ab eius tropis, et figuris exordiamur, admirabile extat divinae misericordiae indicium, propitiatorum, quod fieri mandavit

Deus cherubinis superimpositis, volatrices alas expandentibus; ut ostenderet se ad misericordiam praestandam velocissimis cherubinis velociorem esse. Consonat huic metaphorae illa alia Malachiae, qui ut hanc celeritatem exprimeret: *Et sanitas, ait (c. 4), in penis eius. Illam expertus est David: nam cum vix ore protulisset, peccavi, subito audivit, Dominus quoque transiit peccatum tuum. Et in parabola filii prodigi d. Lucas scribit patrem, ut vidit filium, illico in illius amplexus protubuisse, nullaque interposita mora praecipisse primam illi stolam proferri. Haec faciunt verba d. August. (lib. de spir. et anim.): Tardius videtur Deo peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere. Ezechiel alia quadam dicendi ratione divinam misericordiam demonstravit. Quatuor depinxit animalia alis plena, curram trahentia, rotis adeo inusitatis, et inauditis, ut in cuiusque rotae medio rota alia contineretur. Porro quaelibet rotarum animata erat, dicens Ezechiel: *Et spiritus vitae erat in rotis. Admirabilis haec est divinae velocitatis in miserando periphrasis: curru enim vehitur ab alatis animalibus ducto, rotaeque non insensibiles, sed vitales potius eis inerat spiritus; unde fit, quod si aliquam forte earum in itinere confringi contigerit, nequaquam currus velocitas retardabitur, quia alia interior defectum continuo supplebit. Non inelegans est etiam divinae misericordiae symbolum, quod refert d. Ioannes, cum se vidisse testatur Christum gladium ore tenentem, quo aperte ostendisse arbitror, nequaquam iram Dei ultra dentes ad interiora eius praecordia progredi potuisse. Et quamvis verum sit, evaginatum tunc apparuisse gladium, minime tamen ipse evaginaverat, sed peccatores, ut ait David (Psal. 36): *Gladium evaginarunt peccatores, intemerunt arcum suum. Idem Ioannes aliud sibi ostensum testatur divinae miserationis argumentum. Deum se vidisse ait sedentem, ut glossa explicat, viridi pacis arcu circumdatum: Iris erat, inquit Ioannes (Apo. 1), in circulo sedis similis visioni smaragdinae. Primum, quod in hac visione adnoto, illud est, Deum licet immensum, et incomprehensibilem, ita ut nullis possit terminis contineri, misericordia per viridem arcum significata undique circumdati, et circumcingi: *Iris in circulo eius. Hoc facit illud David, qui de divina iustitia loquens, undequaque illum misericordia vallavit: Misericors, inquit, (Ps. 114): Dominus, et iustus, et Deus noster miseretur: quibus non obscure innuit, unquam Dei exerceri iustitiam, quae undique misericordia circumdata non prodeat. Nam sicut severo nimis iudici assessores tribui consuetum est, qui rigorem eius mitigent; ita David iustitiae nomen intra duas assistitices misericordiam et benignitatem collocavit. Misericors Dominus, et iustus, et Deus noster miseretur. Videtur in hoc regis Propheta naturam ipsam imitatus: sicut enim Martii, quia inimici plenta erat, duo astra benigna sidera, Iovem, et Venerem, apposuit, ut sui influxus suavitate Martis inlempentem temperarent; sic David duabus misericordis iustitiam clausit, quae eius lenitatem peritatem. Compertum est, divina attributa u-****

nus esse mensurae, hoc est infinita, et absque mensura; at tamen hic Propheta suo dicendi more, magis videtur misericordiam extulisse: dicere enim, *Misericors Dominus, et iustus, et Deus noster miseretur*, tantum fuit ac si diceret: Iustus quidem Dominus, verum duplo misericors, quatenus duplo plura, ac maiora suae misericordiae quam iustitiae indicia exhibuit. Secundum, quod in eiusdem loci explicationem adnotandum occurrit, illud sane est, maxime differre iridem a b. Ioanne descriptam ab eo arcu; qui frequenter a nobis in caelo conspicitur; ille enim Deum versus respiciens emittit, variisque distinctis coloribus, dicente Poeta:

Multicolor picto per nubila devolat arcu:

hic autem unius tantum coloris erat similis visioni smaragdinae, et versus nos respiciebat, et ad nos sola sua dirigebat. Illo igitur arcu nos pro scopo Deum ipsam statuentes, facula nostrarum petitionum in eum mittimus, quae cum fide, spe, et charitate nituntur, tribus illis coloribus, caeruleo, viridi, purpureoque significantur. Ideo arcus ille et multicolor est, et versus Deum ignitae orationis iacula mittit. Hoc arcu feriebant olim Iacob divini cordis intima: nam ubi nostra vulgata editio legit: *Do tibi partem unam, quam tuli in arcu meo, et deprecatione mea. Ceterum arcus, quem Ioannes vidit, praeterquam versus nos respiciebat, unius viridis coloris erat, qui miserationis nobis remissionisque spem indicat. Licet autem Deus iustitiae iaculis feriat, haec eadem miseratione plena imittit: nam semper, ut docent theologi, Deus ultra condignam puniit; unde Dei misericordiam adeo ipsa iustitia inbibitiam agnovit Regius vates, ut diceret: *Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis. Hinc Dominus cum de evertenda Iericho ageretur, praecipit Iosue, ut per septem dies illam circumret tubis concurrebantibus, nec passus est eam repente, et in momento everti, ut conversionis tempus praerberet, tubarumque sonitu dura hominum corda ad poenitentiam provocaret. Animadversione etiam dignum iudico, quod cum facilis sit civilitates evertere; quam erigere; Deus nihilo secius sex tantum dies in admirabili totius orbis civitate construenda consumpsit, in evertenda autem urbe Iericho septem integros expendit, ut intelligamus, eius voluntatem magis ad nostros profectus quam damna propensam. Hoc Gentiles etiam agnovērunt: Assyrii enim referente Plutarcho Deos compedibus victos depingebant, ut temporis moras, quas in puniendo interponebant, et quam lento gressu ad puniendum iucebant, ostenderent. Qua etiam ratione inquit Verderus, antiquos Deos pedibus lanceis depinxisse, unde apud Paulum Manutium adagium: *Dii pedes habent lanceos. Refert etiam Plutarcho, Lacedaemonios supremum Deorum Malachiam, id est, placidum et mitem nuncupasse; Athenienses, praecipuum suorum Deorum, Memacon, id est, promptum ad miserendum vocabant. Narrat de illis historici, quod cum in Aetopago decrevisset, ut civi-***

tatis dominium alieni Deorum, qui cum prolegeret, concederetur, Neptuno, et Minerva contententibus, quis cui praeponebatur, ut illo potiretur domino; Athenienses iudicasse id dominium concedendum, qui maius aliud prodigium pararet. Neptunus statim tridentis suo aquas percussit, duos equos infantes ab aquis repente prodire fecit. Inauditum sane prodigium, quo omnes obstupuerunt. At Minerva virga leviter humum tangens, statim ramus virentis olivae germinavit. Et quamvis hoc non tanta admiratione dignum censeret vulgus, re tamen hoc opere significata a sapientibus maturius pensata, et attentius considerata, praeslantius illis visum est: equi enim bella, et seditiones portendunt, oliva pacem praesert, et quietem; unde Minervae praecuram illius civitatis dominum adjudicatum fuit. Pausanias etiam refert, ibi aram fuisse praesantissimam misericordiae sacram, et hanc ceteris frequentius, et maiori religione ab omnibus cultam: quae omnia haec obscure indicant, misericordiae attributum adeo apud omnes nationes splenduisse, ut illud etiam Gentiles in caliginosis errorum tenebris degentes, palam agnoscerent. Unde ad hoc significandum existimal Seneca inventam fuisse a poetis fabulam, qua fingebant Iovem, universum deorum senatum consulere solitum, cum de plecentis hominibus ageretur; cum autem de eis miserando, neminem nisi se solum adhibere. Fabula haec praeterquam principis admonet, ne in poenis indiligens praecipites se ferant, sed multo adhibito consilio delinquentes puniant. De etiam in multando tarditate, et ad miserandum praedivitem aperte ostendit. Quod, ut clarius pateat, advertite quaeso fratres, quod si fabulosi illi auctores Iovem ad mittendum in terram fulminis sua, prius aliorum deorum consilium postulasse commentabantur; vix tamen Deos noster, lametsi summa sapientia sit, nullus quoque consilio indiget, dicente Isata (c. 40): *Quis consiliarius eius fuit? noluit Sodomam evertere, nisi prius Abraham consuleret, licet alioquin iam excecandae cul-pae iustissima esset ultio: idque valde mirabile est, quantum Dei fuerit studium, ut supplicium hoc magis ac magis differret. Adit Deum Abrahamae domum, ceterum ibi immoratur, rei quam cogitabat, ceterum illum reddidit, non secus, ac si consiliarium illum adhibere vellet: mille tentabat vias, ut miserandam viam aliam aperiret. Quod si reipsa miserum non fuit, id non Dei voluntate, sed sua ipsorum iniquitate accidit: tanta enim iustorum penuria erat, ut inter omnes nec decem inveniri poterint, qui si fuissent, minime Deus urbes evertisset, ut ipsemet Abrahamo sponderat: *Non delebo propter decem.**

Verum si relicti figurati sermone, ad sacrae Scripturae testimonia, variosque divinarum eloquiorum dicendi modos, quibus ad explicandam excimiam Dei nostri ad miserendum propensionem utuntur, mentis aciem convertamus, pretiosissimam detegemus venam, qua noster sermo non parum locupletabitur: *Ego sum, inquit Deus (Exod. 20), Deus zelotes, visitans iniquitates patrum in filios in tertiam, et*